AMPLISSIMO, NOBILISSIMOQVE VIRO DOM. D. IOANNI BAPTISTAE LE GOVX IN SVPREMO BVRGVNDIAE SENATV QVÆSTIONVM CAPITALIVM PRÆSIDI, EQVITI, REGII CONSILII Consiliario, D. de la Berchere, de Santenay, de Boncourt, &c.

ANTHONIVS ROBIN ὑγιαίνειν καὶ εὐτυχεῖν.

QVID enim antiquius tibi aut melius deuouerem (Præses Amplissime) in Medico hoc puluere, in hoc Fortunæ theatro, quàm prosperâ valetudine ac Fortunâ uti? illam bonorum omnium primum appellat diuinus Plato, hanc rerum maximarum victricem, Octauius. Lucubratiunculam ecce Medicam tibi offero, tener hic partus te nutritium inuocat, parens teipsum adfectat Mecœnatem: Utrũque (oro) sinu tuo amplectere, foue, defende. Neque id factum Fato. Optionis huius tutelaris duplicem nos agnoscimus caussam; illinc famæ tuæ ac nominis splendor impellit, hinc humanitas ac beneuolentia, quâ Parentem meum colendissimum prosequeris, cogit. Et quidem familiæ vestræ memoria tot sæculis celebrata est, ità perpetua ac constans gloria, vt non tam Fortunæ, quàm Virtutis beneficium esse existimandum sit, sua enim Fortunæ est gloria, sua & Virtuti, splendet vtraque & procul emicat, sed Virtutis, aureus ex solido splendor, Fortunæ, ex fragili vitreus. Nouit olim & de meliore notâ, vniuersa Gallia proauum tuum Philippi Boni Burgundionum Ducis Cancellariũ meritissimũ, vt non mirata sit, sed inuiderit potiùs, quod fœlici huic Agamemnoni omnia ex sententia caderent, tanto Nestore clauũ Iustitiæ ac Cõsilij eius tenente. Nec tu quoque (Præses dignissime) auitæ huius stirpis degener, quin potiùs in vterum matris tuæ omnes sapientiæ atomos concurrisse dicendum est, vt de Epicuro Neocles; ità enim Natura rariores suas dotes in te vnum tam liberali manu profudit, vt nihil habeat hæc ætas, quod antiquioribus sæculis possit inuidere: præfecit te iam à multis annis illa famæ tuæ ac nominis celebritas incorrupto Burgundici Senatus prætorio, altiorẽ tibi Fortunæ gradum parãs, si quo pede iam cœpisti, pergas: hoc est, si triplici illo Religionis, Iustitiæ ac Pietatis calcare stemmatibus vestris insignito concitatus, iustitiam exerceas: quid aliud (quæso) sibi vult caput illud fasciâ aut diademate cinctum, nisi principatus ac dominij Hieroglyphicum, triplici illâ viâ tibi tuisque conquisitum? num & idem Prudentiæ ac Consilij symbolum? quod calcaribus indigere προμήθεια ipsa vult politica, vt quæ semel maturè consulta sunt, citò exequantur. Vides vt vndique te Principem populi sapientissimum ac consultissimum, tua ipsa præsagiant insignia; sed hæc, Cui bono? Phthisicus ille meus καταρρώδης intereà emoritur, dum tuæ laudi ac gloriæ corollas necto, annon & ipsi quoque quid spei ex hoc rerum omnium locuplete penu affulgebit? Ità sanè. Delphicum olim oraculum (referente Herodoto) cuidam simili catarrho laboranti effatus est, vt in Lybiam regionem calidam & siccam se transferret sanitatis recuperandæ gratiâ eâdem ratione tabe penè confectos Galenus ipse ad Tabias ablegabat, sic ego dum benè ominatum illud Mauri alicuius sanè aut Lybici principis caput aspicio, ægrum hunc nostrum ad vernaculi sui aëris pabulum inuitare mihi videtur, immò & calcaribus illis tribus incitare; si tutam, citam ac iucundam expetat sanitatem. Patere igitur (Præses æquissime) vt sub tuis adeò felicibus auspiciis speret, aut tantisper respiret, currentique mihi per spinosa Medicinæ nostræ senticeta calcar adde, vt peragratione factâ, tanti beneficij recordatio me tibi tuisque æterno vinciat, & vincat obsequio.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS, MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS SECVNDA APRILIS, M. PHILIPPO DE S. IACQVES, DOCTORE MEDICO REGIO, MODERATORE.

An φθίσει καταρρώδει cauteria?

IN excretis & retentis ἀμετρία morborum omnium causa est, fluxiones inde suàm vbique exercent tyrannidem: quædam foras erumpentes morborum seminaria fugant, eadem quandóque inducunt; sistendæ an tollerandæ? ex materiæ præstantia, symptomatum magnitudine, aut loci natura iudicandum; sic seminis spirituumque profusio nusquàm contemnenda, perniciosi sudores diaphoretici, lienteria sæpiùs funesta, dysenteria aliàs salutaris, perinde hæmorroides, vrinæ profluuium, vomitus, diarrhoea; aliæ intùs ferocientes subiacenti cuique parti præsens minantur exitiũ, quarum duplicem fontem agnoscimus, mittentis vitium, idemque recipientis; mittit copiâ vel qualitate irritata; recipit potiùs quàm attrahit innato sibi munere, velut dicata viscerum emũctoria, imbecillitate morbo aut ætate contractâ, calore, dolore, immò metu vacui naturæ infensi; sic plures succrescunt tumorum ideæ, bubones in febribus internæ putredinis & inflammationis βλαστήματα, thoracis impedimenta, tussis, articulorum dolores, cordis παλμὸς.

PVLMONES spiritus ἐργαστήρια, vt substantiam & situm excipiendis fluxionibus maximè opportuna habent, ità plurimis affectibus diuexantur: illos iugi præcipitio irrigat pituita, quæ si crassior calore indurata ferè lapidescit; hinc anhelosa respiratio, quâ vniuersum corpus contabescit; si tenuior, cerebri calore, morâ & putredine salsedinẽ contrahat, exquisitã parit phthisim siue pulmonũ exulcerationem, cuius causæ immediatæ, vel mediatæ constituũtur: hæ sunt, animi pathemata, scapulæ πτερυγώδης, fatus parentũ, tabificũ phthisici alicuius contagium, aer intemperatus, calidorum vsus, labor, vigiliæ, venus, quæ immodica νεογάμοις νωτίας tabem inuehit: illæ, sanguis ruptâ, apertâ, aut exesâ venâ in pulmones effusus, & ferina destillatio biliosa aut pituitosa, quibus non parùm vires addunt, frigida & humida regio, aquilonia tempestas austrinę superueniens, anni constitutio verna, autumnalis, ac iuuenilis ætas.

PERICVLOSIÙS succedit phthisis pleuritidi aut peripneumoniæ suppuratis, nullâ factâ puris eductione per ἀνακάθαρσιν, vrinas vel diarrhoeam, minùs nephritidi vel inueteratis coxendicum doloribus: Qualiscumque sit, illam comitatur omnium partium, seriùs tamen cordis & hepatis extenuatio, cuius triplex est causa, vlceris edacitas, febris initio putrida, tandem hectica assumpto cibo noctuque ingrauescens, aëris tabifica qualitas. Dignoscitur pectoris grauitate, raucedine, tussi, dyspnœa, pulsu paruo, languido, æquali vel inæquali, ciborum fastidio, siti, copiosis sudoribus, hisque syncopticis: progrediente morbo succedit facies illa Hippocratica, oculi concaui, collapsa tempora, vngues adunci, genæ liuidæ, ἐμψύχου νεκροῦ propria, capillorum defluuium, aluus liquida mortis sunt prænũcia, prauo adiuncta sputo, quod saniosum aut purulentum si retineatur mentem euocat, pruritum excitat, hypochondriorum tumorem, hydropes, omnia denique vehementiora symptomata.

CVRATIO confirmati affectus frustrà tentatur; incipientis, alia debetur vlceri, alia symptomatis: vlcus detersione & exsiccatione curatur, à qua συσσάρκωσις, quæ naturæ opus est, cibis εὐχύμοις εὐπέπτοις liquidis potiùs quàm solidis molienda: quibus præstat lac muliebre, hoc vt ὅμοιον, ità benè moratâ aluo εὐπερόφυλον; minoris sunt efficaciæ cochleæ, cancri fluuiatiles, testudines nemorales, pulmones animantium, quæ totâ substantiâ iuuare creduntur; agglutinant terra armena, sigillata, karabe, lapis hęmatites, sacchari rosati antiqui vsus longior; aluus conducit lenis, clysteribus nusquàm irritanda, balneum saluberrimum; at nihil hæc omnia nisi fluxionis impetus reprimatur, cui sistendo venæ sectio, licet mixtum sit reuellendi deriuandiq; auxilium, sæpè tamen phthisi θηλειώδη perniciosa, perindè vomitus, κάθαρσις: è contrà iuuant errhina, vesicatoria, aliáque admota capiti μετασυγκριτικά.

PRÆ omnibus conferunt cauteria, quæ licet vltima sint in diuturnis & desperatis morbis remedia, imminenti tamen phthisi tutiùs & vtiliùs quàm confirmatæ adhibentur; non actualia, venenatis, calidis, aut putridis affectibus, sistendæ venarum & arteriarum apertioni, roborandis, exsiccandis & astringendis partibus præferenda; sed potentialia reuellendæ destillationi, atque adeò phthiseos curationi opportuniora, escharωtica quidem, à vesicatoriis, cathæreticis, & septicis non tàm calore quàm substantiæ modo distincta: locus vtrique parti constituatur idoneus mandanti & recipienti; itaque si quid vrget, vertici, sin minùs occipitio tutiùs applicantur, simúlque brachiis: etsi crudele sit multis causticis in humanam carnem sæuire, præstat nihilominus prodesse quàm placere; securitas iucunditati præferenda: tempus sit ieiuno stomacho, præmissâ vtráque vacuatione; pars muniatur medicamentis, quæ astringendi & repellendi facultate, dolores, inflammationem, abscessus, gangręnam, fœtorem, aliáque accidentia malè cautę cauteriorum applicationi quandóque superueniẽtia corrigant; sic ipsorum ope ferina destillatio reuelletur, deriuabitur, intercipietur; tussis desinet, quę tamen curandi ἀδυναμίαν sępè pręstat, cerebrum roborabitur, vlcus siccabitur, febris, extenuatio, cęteráque tandem symptomata phthiseos consectaria euanescent.

Ergo φθίσει καταρρώδει cauteria.

Propugnabat ANTHONIVS ROBIN Diuionensis. Anno R.S.H. M D C. X X.